

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Fidei Formvlarvm Praecipve Avgvstanae Confessionis Ivstitia Et Vsv

**Bernhold, Johann Balthasar
Schifflin, Johann Sigismund**

Altorfii, [1730]

[urn:nbn:de:bsz:31-67824](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67824)



80A 8946 2

Handwritten scribble

KSIFCARNI
KUNST

11.
Rf
ST

af. 39

7/134


Theol. 535

Histor.

3. 16.

6.

Histor.



Conspectus
Dissertationum ad histo-
riam Lutheri, refor-
mationis, A. S. C. et
Ecclesiae Luther.
spectantium.

1. M. I. A. W. de Lutheri o-
mnia in omnibus
2. Dauhawen Memoria Thau-
massandi Lutheri.
3. Valentini Alberti, de virtute
heretica, Lutheri, Matthiae Fla-
cii et Jacobi Andreae.
4. Scharfii, Joh. Lutherus re-
formator.
5. C. T. Kangovis editio Pontifi-
cis Rom. Leonis X. litterae in-
dulgentiarum.
6. Danielis Graeneri in natalibus
memoriam Lutheri oratio, qua-

lexam annuali sit papa ruanus.
7. loh. Wencesl. deus Lutherus
cum sole comparatus.

8. Ursus Ursus Ursus Ursus Ursus
Ursus Ursus Ursus Ursus Ursus
Ursus Ursus Ursus Ursus Ursus

Lutherus Lutherus Lutherus Lutherus Lutherus
Lutherus Lutherus Lutherus Lutherus Lutherus
Lutherus Lutherus Lutherus Lutherus Lutherus
9. loh. Baldhaf Bernhold de cha. de cha.

factenbas pseudopropheta nuy
in d. Martino Lutherus miratue
omutau obauit.

10. Laurenti Rhodmanni oratio
de praecipuis dei beneficiis a
deo per VII. Saxonie electores
et d. Martin. Lutherum et d.
Philipp. Melancthonem in aca-
demiam Witeberg. collatis.


11. loh. Fr. Mayer, utrum B. Lu-
therus philippo Landgrauio
bigauriam concesserit.

12. Joh. Andr. Jarzii, pro lu-
thero ex accinatione styli re-
prehensio.
13. Pauli Jacobi Eckhardi Vindi-
ciae J. Lutheri et J. Melanch-
thonis ab infami peritura.
14. Martin. Lutheri aliquot nomi-
na propria germanorum.
15. Nicol. Leptevici oratio histo-
rica de initio, causis et pro-
gressu C. A. et de vita ac
laboribus, J. Mart. Lutheri, po-
stremae aetatis Eliae.
16. Gottlieb Wernsdorffii, Augusla-
nae confessionis historia.
17. Joh. Balthaf. Bernhold de fi-
dei formulae praecipue A.
C. iustitia et usu.
18. Alb. Georg. Schwartzii de stylo
A. Conf.

19. Io. Christ. Guesz filii de Au-
gustana confessione Pabli dot-
Sicii, medici Halensis cura grae-
ce reddita.
20. Io. Wilhelm. Loeperi, de aucto-
ritate A. C.
21. M. Henr. Christ. Crellii de di-
vinae providentiae vestigiis
in scripturae A. Conf. negotio.
22. Erasm. Parthol. Egerland ad
do Regulam summi numeris
circa A. C. providentia.
23. Andr. Westphalii de duabus
Ponderatione pro studio servatae
A. C. etc.
24. Acad. Francos. Comitia re-
gulata in A. C.
25. Geshardi Filii, Vindictae A. C.
26. etud. Vindictae Lutheranae.
27. M. Andr. Caroli de Religio-
ne Lutherana.

28. C. Trib. Kangis, ecclesiam
lutheranam non schismaticam
esse.
29. Leveni Lintrupii Anglia
plantavit modis lutheranizans.
30. eiusd. sub Heib. Gottfr. Nassio
Gallica multis modis luthera-
nizans.
31. Joh. Kalckmanni proreca refor-
mationis lutheranae tuba de
perpetuo christianorum iubi-
lata. Additus est catalogus
doctorum et professorum theo-
logiae in academia Witteber-
gensi.

F r u i t.



Θ. Δ. 277.

DE

FIDEI FORMVLARVM
PRAECIPVE
AVGVSTANAE CON
FESSIONIS
IVSTITIA ET VSV

ANNO A. C. SECVLARI II.
D. XXI. IVL.

PRÆSIDE

IOH. BALTASARE BERNHOLD
S. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL.
ALTORPHINAE ECCLESIAE ANTISTITE

IN

ACROATERIO THEOLOGICO
PVBLICE DISPVTABIT

RESPONDENS AVCTOR

IOH. SIGISMVNDVS SCHIFFLINV
AVGVSTANVS.

ALTORFII

LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

an

11:2

18 an PVA 8946 R



PRAELOQVIVM.



*Aut abs re erit, B. L. Praefaminis loco
 temet condocesacere, qua equidem
 occasione, quemque ob finem in hanc
 praecipue, de Fidei formularum, Au-
 gustanae maxime Confessionis, Iustitia
 et Vsu, inciderim materiam; neminem fugere potest
 Iubilaeum, quod Lutherana Ecclesia hoc anno Augu-
 stanae Confessionis gratia celebravit; huic confessioni
 cum nomen sit inditum ab urbe Augusta Vindelicorum,
 in qua eadem, Comitibus ibi habitis, ducentos ante an-
 nos, die xxv. Iunii coram Carolo Vto Imperatore glo-
 riosissimae memoriae, publice praelecta, et a Confesso-
 ribus nostris pientissimis eidem fuit exhibita: et uero
 mihi, uel hanc ob caussam scripturo de proposito argu-
 mento, tam felici esse contigerit, ut in hac, hanc
 propter Confessionem uere Augusta urbe, lucem adspi-
 cerem; credidi, me non alia aequae apta, studiisque
 meis magis congrua ratione, illustri Ciuitati de Iubi-
 laeo*

A laeo

laeo, quod ad ipsam cumprimis spectat, gratulari, meamque aduersus eam pietatem testari potuisse, quam si quid in hanc confessionem, uti plurimis aliis, ita uel Augustae nomine illustrem, commentarer, placuit e multis, quae de Augustana Confessione dici possent, argumentis, id unum, quod de Iustitia et Vsu eiusdem agit, a uariis irreligiosi et petulantioris ingenii hominibus impie et inuerecunde tractatum. Fuere quidem immortaliter de Ecclesia nostra meriti, et sunt hodiernum merentes Viri, qui Augustanam Confessionem egregie contra eiusmodi insultus uindicarunt. Sed occurrent, B. L. quaedam in hanc rem aliter digesta et probata, ne de aliis, in quibus nostra ab aliorum instituto differt tractatio, aliquid moneam. Si ex fine laborem meum qualemcumque considerare uelis; non alium mihi proposui, quam, ut probatum et euictum dem, diuinum per hanc confessionem in Eccl. Luth. deriuatum beneficium, idque simul celebrem; et ut omnibus, quorum interest nosse, meum quoque sincerum cum doctrina in illa contenta probem consensum. Celebremus ergo nomen Domini, et constanter cum beatissimis maioribus nostris in doctrina euangelica unum sentiamus et loquamur. Vale et conatibus meis exiguis benigne faue.

Q. D.

Q. D. B. V.
CAPVT VNVM

DE

FIDEI FORMVLARVM IVSTITIA
ET VSV.

§. I.

Vsus et Iustitia Augustanae Confessionis luculentius pa-
rebit, si praemiserimus generalem aliquam tractatio-
nem de *iustitia et usu formularum fidei*, terminis e-
uolutis et explicatis argumenti tractatio euadet ma-
gis expedita et accurata; primum itaque consideramus (a)
uocem *fidei*. Fidem Theologi communissime distinguunt in
obiectiuam, siue, quae creditur, et subiectiuam, siue, qua cre-
ditur, [*distinctionem explicatam et aduersus Ericum quendam
Fridlibium uindicatam, uid. apud B. GOTTLIB. WERNSDORFF.
de Indifferentismo Religion. Diss. II. p. 125. seqq.*] nos hic loci
fidei uocabulo intelligimus fidem α) *obiectiuam*, siue, quae
creditur, quo iam nobis nomine ueniunt dogmata in Scriptura
S. diuinitus reuelata, et arctissimo inuicem nexu inter sese cohae-
rentia, quorumque necessitas et usus est ad salutem adipiscendam.
Horum alia sunt fundamentalia, alia non fundamentalia, uti no-
tum est; est sane fundamentalium et non fundamentalium dogma-
tum pro re Ecclesiae nata, usus et quandoque necessitas in formu-
lis fidei. Vnde simul patet, non omnium et singulorum uerae reli-
gionis dogmatum in formulis fidei iniri rationem, sed illorum
tantum, quae tum, cum conderentur, e re Ecclesiae fuere. In-
telligimus per fidem (β) *doctrinam ueram*, quae cum uerbo

Explicatio
uocis Fidei.

Θεομίεως exacte consentiat. Hinc ualere a nostra tractatione iubemus heterodoxorum formulas, quae sensu tantum abusu et grammatico sic audiunt. Quae ipsa doctrina uera spectatur (3) *quatenus in litteras redacta, et publice est proposita*, ut sic denotet publicum uerae doctrinae scriptum, quod (7) noua accedente relatione, requirit *hominum eidem addictorum cum eadem consensum*, eumque et externum et internum; ut hac tandem ratione *formulae fidei* significant: *publicum uerae doctrinae scriptum a uero Christianorum hominum coetu, cuius sunt formulae, approbatum et receptum*. Consensum externum, qui uoce scriptisque declaratur, requiri, uel ipsa fidei formularum synonyma, uox confessio, confessorumque finis et scopus innuit. Quid enim aliud est confessio, quam externa professio consensus? quemue alium ob finem confessores ueritatem testati sunt, quam ut eorum confessio sibi, aliisque in religione sequacibus, norma sit doctrinae scripto oreque proponendae; internum uero consensum quoque requiri, et ipsum fidei formularum obiectum, et iterum confessorum intentio nos edocet. Obiectum formularum fidei sunt ueritates diuinae, ad has uero serio credendas quiuis obligatur, modo eas prius agnouerit ueras. Intentio confessorum fuit, ut non solum ore, sed et mente quis fidei consentiat, coetus enim sui membra, minime hypocritas, aliud ore, aliud mente simulantes, uoluerunt, et certe, manifestos in doctrina hypocritas uera Ecclesia nunquam pro ueris sociis agnouit, ex accidenti, hominum nempe uitio, euenit, ut quandoque membra uerae Ecclesiae habeantur, qui externe tantum profitentur doctrinam, consensu interno defuituti; modo hic dissensus internus non aperte se prodat.

§. II.

Formulae.

Formulam (3) explicamus per regulam siue normam, probe uero attendi uolumus distinctionem inter normam primariam

mariam et secundariam, independentem et dependentem, normam normantem et normam normatam. [*haec et reliquas divisiones, earumque explicationes vid. ap. IOH. BEN. CARPZOV. in Isagoge in libros Eccl. Luth. symbol. p. 5. et 28. IOH. FRID. WALLISER. in Vindiciis libror. Eccl. Luth. symbol. p. 3. seq. GOTTL. WERNSDORFF. in Diss. de Autoritate libror. symb. Apb. IVto. et ap. eund. lege quaestionem quoque discussam: Num formulae fidei uniuoce uel aequiuoce, an ἀναλόγως normae titulo uocandae sint? p. 489. th. 10.*]

§. III.

Norma primaria, independens, et normans, est ipsa Scriptura S. idque probamus praecipue ab eius autoritate diuina et perfectione, uel unus in hanc rem sufficiat locus II. Tim. III. 16. Πᾶσι γραφῇ, ἡρόπνευστος καὶ ἀφείμιος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπιτίθωσιν, πρὸς παιδείαν, τὴν ἐν δικαιοσύνῃ· ἵνα ἄριστος ὁ θεὸς ἀνθρώπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηγησιμὸς· habet ergo uim normandi, eamque non aliunde, nisi ex sua ipsius diuina αὐτονομία et perfectione.

§. IV.

Regulam secundariam, dependentem et normatam uocamus *formulas fidei*; exhibent enim ipsas diuinas Scripturae S. ueritates; rite tantum explicatas et applicatas; hasce uel διαρρήδην, uel κατὰ διάνοιαν proponunt. In utraque hac opera coetus uerus non propria utitur ἐπιλύσει, sed iuuatur gratia Spiritus S. docente, non immediata et fanatica, sed mediata, lumine uel supernaturali uel naturali; illo, Scriptura S., cum qua Spiritus S. gratia perpetuo coniuncta quemuis non resistentem illuminat, hanc scrutatur, meditatatur, collatione dictorum sacrorum Scripturam e Scriptura explicat; lumine denique naturali, regularum nempe hermeneuticarum siue logicarum, quas Spiritus S. gratia dirigente, sensui Scripturae explicando, eruendo, probando, defendendo adhibet Ecclesia.

[*ex hisce opinor decidi oportere quaestionem: Num scilicet formulae fidei sint scripta mere humana, an aliquo tantum modo sacra et diuina? conf. WERNSDORFF. l. c. p. 475. et CARPZOV. l. c. p. 3.*]

§. V.

Huius Of-
ficia.

Normam cum appellamus, explicandum restat, quodnam illae in Ecclesia, cuius formulae fidei sunt, habeant *officium normandi*, siue formandi fidem, quod *duplex* statuimus, norma enim eo facit, ut uel opus producendum dirigat, uel productum aestimet. Formulae fidei itaque uel instruunt et dirigunt coetus fidem concipiendam, doctrinae puta cognitionem et professionem, uel fidem iam conceptam aestimant, siue diiudicant et de ea decidunt. Formulas fidei instruere et dirigere fidem primo concipiendam, inde manifestum est, quia Scripturae S. ueritates explicatas tantum et applicatas exhibent; cum enim haec omnium consensu dirigat & instruat fidem nostram, certe quicquid cum illa ex asse perpetuo conuenit, hoc ipso quod conuenit, simul de ui instruente et dirigente fidem suo modo participat, *δευτέρας* nempe et *ἐπιμένως*; ut loqui amant. [*quaesitum fuit: num formula fidei principium concipiendae fidei esse possit? quam quaestionem nulli dubitamus, secundum modo dicta, affirmare*] non tantum ueritates et sententiae diuinae in formulis fidei expressae, sed et ipsae phrasae, loquendique modi dirigere et instruere omnino possunt et debent cognitionem iuxta et professionem Ecclesiae, quae eiusmodi formulam condidit et recepit; ipsum namque Scripturae S. de diuinis ueritatibus sensum uero aptoque modo expressum et determinatum sistunt. Si qui scholae termini uulgi captum transcendent in fidei formulis occurrant, uulgi quidem cognitionem dirigere et instruere nequeunt, sed instruunt tamen et dirigunt illorum cognitionem, qui aliis docendis in illa Ecclesia praesunt, [*aliter paullulum rationes subducentes*]
uid. B.

uid. B. WERNSDORFF. l. c. p. 496. 497. et CARPZOV. l. c. p. 3. 5. qui tamen facile nobiscum conciliari possunt.] Pari modo res se habet cum altero normae officio, quod diximus in eo consistere, ut formulae fidei aestiment, diiudicent, et decident de fide iam concepta. Num fides recte an secus se habeat, ex eius cum fidei formulis collatione ideo secure & recte ostendi potest, cum hae ipsum Dei uerbum contineant, uel ipsis diuini spiritus uerbis conceptum, uel iusta consequentiae lege, aliis licet uerbis propositum. Aestimant itaque et decident de doctrina uera, uirtute diuini uerbi, supremi controuersiarum iudicis; quod si iam doctrina aliqua cum quadam uerae Ecclesiae formula exacte collata, ab ea reuera penitusque abhorreat, falsa utique pronuncianda uenit, cum non tam formulae fidei, quam ipsi Scripturae Sacrae, cuius illa est nuncia atque testis, aduersetur. Si qui obueniunt in Ecclesia modi loquendi a stilo formularum fidei diffoni, dispiciendum erit, num sensu differant a doctrina in formulis contenta, an uerbis modo? Si posterius, monendum eiusmodi Ecclesiae membrum, ut cum Ecclesia, Dei domicilio sedeque ueritatis, unum loquatur, τὸ αὐτὸ, e Pauli I. ad Corinth. I. 10. praeepto: Si non uerbis, sed et sensu a recepta in formulis fidei doctrina recedant phrasae, ceu falsae reiiciendae et damnandae erunt.

§. VI.

Quo duplici officio ut rite fungantur formulae fidei, necesse est, ut Scripturae S. sensum, quibus is uarie quandoque effertur uerbis, in compendiarium summam colligant, perspicue et plene proponant, loquendi modos hinc inde sparsos et uagos, sensumque itidem hic illic distributum, concinne apteque figant, accurateque determinent. Haecenus dictum fuit ueram doctrinam peti et aestimari posse e fidei formulis et ex Ecclesiae consilio debere. Restat, ut duo tantum *monita* dictis addam. Primum est: Formulas fidei instruere et decidere et Requisite.
tantum

de hisce fidei capitibus, quae in iis studio et data opera definita sunt, non item de reliquis; id quod evidentissime cuius patere puto. Secundum moneo, quod fidei formulis praeter superius memoratum duplex normandi officium, quod ad doctrinae uel ueritatem uel falsitatem agnoscendam et aestimandam maxime spectat, aliud tribui possit, quo fidei concipiendae consensum cum formula fidei recepta dirigit, conceptaeque aestimat, quod ut multis probemus, necesse esse non ducimus, cum ad normae officium pertinere, cuius statim pateat: uno uerbo *orthodoxiam Ecclesiasticam* formula fidei etiam dirigit et aestimat. [Plura scire uolentem remittimus ad B. GOTTL. WERNSDORFF. l.c. p. 4. 85. 501. coll. 504.]

§. VII.

Formularum
Fidei Defini-
tio.

Explicata uocis fidei, formulaeque significatione, ex haecenus dictis iam suppeditamus *definitionem formularum fidei*, quae talis esto: *Formula fidei est publicum uerae Ecclesiae scriptum, quod ad diuinam Scripturae ἱερωτικῆς normam, Spiritus S. gratia et luce iuuante, omnique adhibito humano studio unam alteramque doctrinae Christianae partem, perspicue, apte, compendiarie, plene, determinate explicatam, legitimeque erutam sistit, illamque ad instar regulae cuius uerae Ecclesiae membro proponit, ad quam, post Scripturas S. ueluti normam praecipuam, sua et sensa et dicta scripturae de propositis Christianae religionis argumentis componere et diiudicare, uel, ut ab uniuersa Ecclesia diiudicentur, permittere, debet.* [conferrī possunt aliorum definitiones e.g. CARPZOVII l.c. p. 2. WERNSDORFII l.c. p. 422. th. 2da. BERNH. VON SANDEN in *Diss. Th. de Forma sanor. uerbor. seruanda Doctōri Theologo in Eccl. Luth. th. XVII.*]

§. VIII.

§. VIII.

Definitioni subiungimus receptae παιδείας ergo *synonyma* Synonyma formulae fidei uocabula. Ea sunt uel biblica, uel ecclesiastica. Biblica sunt: ὑποτύπωσις ὑμαινόντων λόγων, II. Tim. I 13. τύπος διδαχῆς, Rom. VI. 17. (de quibus infra latius) ecclesiastica formularum fidei synonyma sunt partim patrum graecorum, partim latinorum. Patribus graecis frequentata sunt: Πίσις, ἐκθεσις τῆς πίστεως, ὁμολογία τῆς πίστεως, τῆς θείας διδασκαλίας ὅλημα, κανὼν τῆς ἀληθείας ἀκλινῆς, ἰδίωμα πίστεως, καὶ τῆς ἐκκλησίας χαρρατὴρ, παραδόσις καὶ διδασκαλία καὶ πίστις τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, μαθήμα. Latinis Patribus e multis usitatissima sunt: Fidei regula immobilis et irreformabilis; norma praedicationis; fidei confessio siue professio, et quod maxime usu uenit, symbolum. Nouissime ueniunt titulo: Libri Concordiae, librorum normalium, et corporis doctrinae. [de his et aliis titulis conf. CASP. LOESCHERI *Diss. de Formularum fidei necessitate* §. 2. ABR. CALOVII *Criticus Sacer.* p. 3. IOH. HERM. AB ELSVICH *de Reliquiis Papatus Eccl. Luth. temere affictis* p. 55. B. IOH. FRANC. BVDDEI *Isagoge* p. 439. 440. *affinitatem quandam cum formulis fidei habent litterae ueteris Ecclesiae communicatoriae et formatae, teste CARPZOVIO l. c. p. 6.*]

§. IX.

Iustitiam cum fidei formulis tribuo, pono, Christianum coetum, ad quem fidei formulae spectant, in iis condendis et proponendis *iuste* agere, i. e. loquor de ecclesiaste quodam *iure* tanquam eius attributo quodam. Ius ecclesiasticum in nullo facto acquisitum, facta nimirum plurium in unum, qui Christianus appellatur, coetum coalitione. E cuius consideratione rite et sponte sua fuit aliqua eiusmodi facultas, intimoque nexu cum eadem cohaeret, quam non modo nullae prohibent leges, sed et quaedam eandem insinuant et suppeditant;

B

immo

Form. fidei
Iustitiae ex-
plicatio et
diuisio.

immo, positis quibusdam circumstantiis, leges praecipientes et iubentes praesto sunt. Vnde Ecclesiae non solum *ius in sensu permissiuo*, sed et *praeceptiuo* ad formulas fidei praescribendas competit. Priori respectu iustitia stricte dicta formularum fidei condendarum Ecclesiae competit; posteriori, necessitas quoque eidem incumbit; utrumque generali Iustitiae uocabulo includere fas erit. [qui debet aliquid facere, uel non prohibetur, is quoque ius agendi habeat necesse est. Sunt uerba Ill. GUNDLINGII in *Via ad Veritatem Iurisprud. natur. Cap. I. th. 58.*] secundum dicta probabimus iam, Ecclesiam eiusmodi pollere iustitia siue *iure*, et quidem primum sensu *permissiuo*. Ecclesia considerari potest, uel *communibus* cum aliis societatibus humanis gaudens *iuribus*, uel *singularibus* prorsus ipsique peculiaribus. Priori modo spectatae, ex eius indole et habitu uindicabimus hocce ius, *directo* siue proximo, & remoto siue *indirecto* argumento; posteriori modo, e singularissima Christianae Ecclesiae constitutione exstruemus *generale* argumentum directum pariter et indirectum; quod *specialibus* id ipsum ius insinuantibus dictis Scripturae S. confirmabimus. Quod tandem ad *ius praeceptiuum*, necessitans et obligans attinet, confectum id dabimus recensendo quosdam casus, quibus positis, ex diuinarum legum praescripto, Ecclesia ad formulas fidei condendas et praescribendas obligatur, quae dicta si illustrauerimus huius *moris antiquitate* in uera Ecclesia recepta et approbata, nihili, quod in praeliminari tractationis nostrae capite omiserimus, iuste erimus accusandi.

§. X.

Probat ius permissiuum argumento generali, directo, e societatis eiusque indole.

Ecclesiam, prouti consideramus *communibus* cum aliis quibusuis societatibus gaudentem *iuribus*, permissiuum formulas fidei proponendi habere ius, *directo* argumento sic probamus: ius omnibus societatibus commune est, ut quicquid ad legitimum, quem

quem sibi elegerant finem conseruandum, promouendum & defendendum legitime faciat, iuste agere possint. Quam ueritatem e I. N. praeceptis transsumtam uolumus. Finis Christiani coetus primum fuit unio sensus & professionis in doctrina de Deo, ad ductum Scripturae S. recte agnoscendo et colendo; quam sartam tectamque conseruare, promouere, defendere, eique inuiolabilitatem et perpetuitatem dare, secus sentientes ab unione arcere, suamque rem secum habere uoluerunt. Manifeste id patet ex apostolicis scriptis; primorum Christianorum historia, et ipsa Ecclesiae per omnia retro secula constitutione. In hoc negotio nihil prorsus quod illegitimum sit, egerunt. Ad ueritatem enim euangelicam ad Scripturae Sacrae ductum amplexandam, conseruandam, promouendam, defendendam, quiuis singuli antea iam obligabantur, nec minus cuiuis seorsim id officii incumbibat, ut ueritates semel agnitas, et de quibus intime conuictus erat, intemeratas perpetuo, ad ultimum uitae halitum teneret et tueretur; quod singuli iuste agebant, id uniuersos in commune, inita societate, iniuste fecisse, ab omni ratione est alienum. Accedit, liberos de inuendo eiusmodi coetu fuisse pactos, et cuiuis integrum mansisse, num Ecclesiae adhaerere, an ea exesse uelit. Finis cum itaque legitimus sit, omne, quicquid ad eundem conseruandum, promouendum, et defendendum legitime facit, iuste agere possunt. Formulas fidei eo esse comparatas, ut unionem sensus & professionis in uera doctrina conseruent, promoueant & defendant, dubio caret. Sed num legitimum eius rei administriculum et medium sint, id est, quod multi acriter negant. At facilis et plana est responsio, modo quis meminerit non de aliis, nisi quas definiuimus, fidei formulis nobis sermonem esse. Cum uero hae non alias, nisi eas, quarum gratia coeuerunt homines Christiani, contineant sacras ueritates, dilucidius tantum explicatas & pressius determinatas, quidni diuina haec-

ce dogmata legitime conseruatum, promotum, defensumque eant, iisque inuolabilitatem addant? non aliter ab aliis Christianae ueritatis conseruandae et promovendae, omnium confessione legitimis modis differunt, quam quod publico comprehensae sint scripto; id quod certe innocuum quid est.

§. XI.

indirecto.

Fluxa rerum uarietate, hominum imprimis uitio, subinde in omni societate noui diuersique casus emergunt, & circumstantiae, quae nouas itidem & diuersas efflagitant leges atque dispositiones, quae primis & fundamentalibus superadditae, ipsas uel plenius explicant, uel pressius determinant; uno uerbo, quae primas leges distinctius ac magis determinate nouis obortis casibus applicant. Quae prouidentia si negligatur, societates discrimen confusionis, discordiae & dissolutionis mox essent subiturae, unde iustitia eiusmodi constitutionum indirecte colligitur. *Parimodo* in Ecclesia res se habet; tractu temporis uariae, hominum praecipue nouarum rerum iusto studiosorum culpa, obseruantur in ea circumstantiae, quae nouas extorquent normas; siue potius primariae normae magis distinctam & determinatam ad aduentitium Ecclesiae statum explicationem & applicationem exposcunt, ut confusionis, discordiae et dissolutionis, addo, & apud imperitiores offensionis & seductionis periculum auertatur & euitetur. Quot, quantisque Ecclesiae unio exposita sit discriminibus, uel ipsa Ecclesiastica historia quemuis abunde condocet. Certe uerus Christianorum coetus mox difflurus esset, nisi eiusmodi normae secundariae subuenirent, quae primariam, cuius phrasibus, in usum quidem uulgi sapientissime adhibitis solutioribus & diffusioribus, petulanter homines *ἀτέβως* & *ἀλόγως* abutuntur, magis presse & determinate sifterent, atque hac ratione eundem ad sentiendi loquendique unionem efficacius adstringerent. Credo formulas fidei uel hoc
etiam

etiam titulo iustas esse, quia confusionem in sentiendo & loquendo, dissensum item, & inde consecuturam Ecclesiae dissolutionem ualidissime, addo prudenter iuxta & iuste cohibeant.

§. XII.

Christianam Ecclesiam iuste porro in *sensu permissiuo* fidei Generali directo e Christianae societatis habitu. formulas praescribere, probamus *secundo*, e *singulari* prorsus, quod peculiare ipsi est, *iure*; directo itidem & indirecto modo. Directum argumentum petitur e Christiani coetus singularissima constitutione & indole. Est is a DEO per reuelatum uerbum suum, & lauacrum regenerationis, diuina Spiritus S. uirtute, quae praesentissima ipsis est, in unionem indiuisam & perennem mutui amoris iuxta ac uerae fidei, doctrinae nempe ἐν τοῖς ἱεροῖς χράμμασι comprehensae, uocata societas. Eph. IV. hic uelim attendas ad tria capita. Primo in Christiana societate requiritur expressa DEI uoluntate, unio cordis & oris in credendis & profitendis ueritatibus diuinitus reuelatis. Quare non solum Christiani homines iubentur τῷ αὐτῷ σοιχεῖν κανόνι, Philip. III. 16. τὸ αὐτὸ φρονεῖν, Rom. XV. 5. sed et τὸ αὐτὸ λεγαν, 1. Corinth. I. 10. ut ὁμοθυμαδὸν ἐν ἑνὶ σώματι, Rom. XV. 6. glorificetur DEUS ac Pater Domini nostri Jesu Christi. In hoc coetu nefas est aliquos pati ἑτεροδιδασκαλεῖν 1. Tim. I. 3. qua uoce omne peregrinum & alienum non modo qua materiam doctrinamque ipsam, sed & formam ac proponendi modum excluditur; quam significationem innuit etiam subsequens phrasis: μὴ πρὸς ἐρχομένῳ ὑμῶν λαλοῦναι τοῖς τῶν χερσῶν, 1. Tim. VI. 3. immo, ut exeat eiusmodi homo ἡσῶν περὶ ζητήσεως καὶ λογομαχίας, 1. Tim. VI. 4. 1. Joh. II. 9. nec communionis locus ei detur, nisi possit unam alteramue admonitionem respuerit, diuina pariter fert uoluntas. Secundo notandum loco, ueritates, ad quas conseruandas, promouendas, defendendas coit Christianorum cohors, esse ipsa τῶ θεῶ λόγια,

B 3

δυνα-

δυνάμενα δυνάμει Ἰ Θεοῦ, quemcunque *πιστεύοντα σοφίσει* εἰς
σωτηρίαν, quorum *ἐξηγητὴς* fuit Christus, filius DEI unigeni-
 tus, qui ipse uidit Patrem *ὡν ἐν τῷ αὐτῷ κόλπῳ*, & misit in
 apostolorum corda Spiritum S. a quo *Φερόμενοι ἐλάλησαν* pariter
 & scripserunt *ἱερὰ χράματα*, quae & ipsa omnia ad salutem
 exhibent plene & plane, & sunt falli nescia. Tertio monemus,
 Christum tanquam caput Ecclesiae, a quo eadem influxum pa-
 riter & regimen habet, praesentissime ei adesse, doctrinaeque
 coelesti eam ita superaedificauisse, ut ne inferorum quidem por-
 tae unquam aduersus illam praeualerent; accedit Spiritus S. gra-
 tia per uerbum quodcunque Ecclesiae membrum non resistens
 efficacissime illuminans & docens. Ex his demum deducimus
 singularissimum ius & obligationem, ut diuinum illud deposi-
 tum [*diuinas nimirum ueritates*] ad adipiscendam salutem suf-
 ficientissimum & infallibile, in perpetuum uno sensu & ore cre-
 dat, profiteatur, immo illud ipsum conseruet, promoueat, &
 defendat; *ἑτεροδιδασκαλίαν* a communione coerceat & pel-
 lat. Id iuris ut absque insigni errore, & ualide exercent Ec-
 clesia, iuuatur praesentissima & Christi & Spiritus S. sui per
 uerbum ope & auxilio. Omni itaque medio ac subsidio, quod
 ad hunc finem legitime obtinendum facit, iuste Ecclesia utitur;
 formulae fidei, quas descripsimus §. VII, faciunt ad eundem, &
 faciunt legitime; nam quorsum quaeso eadem collineant, nisi
 ut diuinitus reuelatas ueritates conseruatum, promotum, &
 defensum eant, cum harum ueritatum sensum & modum lo-
 quendi docent & proponunt. Sensum quidem uel *διὰ ῥήδην* ex-
 plicatum, uel *κατὰ διάνοιαν* erutum; formulas autem loquen-
 di, uel easdem cum scripturae phrasibus, uel aequipollentes,
 pressius tantum determinatas. Obiici posset, quae recte statui-
 tur distinctio: inter Biblicum & Ecclesiasticum stilum, ad illum
 quidem diuino iure Christianos obligari, ad hunc non item;
 sed exceptio saperet non Christianum, sed nasutum & petulans
 inge-

ingenium ; rumpit certe is, quantum in se est, uinculum ueritatis & charitatis. quo coetus inuicem connexus est, qui cum uera Ecclesia, cuius membrum uult haberi, abhorret in unum sentire & loqui, cum ipsa, Spiritus S. per uerbum efficacis lumine coluistrata, apte non minus ac uere sensum loquendique formas expresserit, eo modo, quem statui, in quo est, conuenientem prudentissime iudicauerit ; & nesciret, qui cum Enthusiasticis ac similibus, solis Scripturae uerbis utendum statueret, discrimen inter Theologiam biblicam pressius dictam, atque inter hermeneuticam sacram, quae uerba Scripturae aliis sane uerbis, praecuntibus Christo et Apostolis in N. T. explanat, atque edisserit. vid. IOH. HORNBECK, Summa Controuersiarum lib. VI.

§. XIII.

Indirectum argumentum sic formamus : Scripturae Sa- ^{Indirecte.}
erae sententiam, etsi in se satis perspicuam et claram, multi, uel mediis interpretandi destituti non assequuntur ; uel struuntur diuinis ueritatibus clandestinae insidiae, & publicae lites. Quae tenebrae ut dispellantur, quae offendicula ut remoueantur, opus est ex accidenti fidei formulis, quibus uera sistatur, diducatur, determinetur ac uindicetur Scripturae sententia. Experiencia praeterea condocet, homines non perinde ad normam Scripturae S. doctrinam suam componere, ac quidem gloriantur se Scripturam pro norma recipere ; uerba Scripturae multi, sententiam pauci recipiunt, et licet ad ea prouocent, nihilominus parum conuenienter Scripturam applicant. Adornari itaque oportuit formulas fidei, quo et uera assereretur sententia, et peruersae docentium ^{rely} detegerentur et refellerentur. Infirmorum ergo intellectus ope formularum fidei de diuinis ueritatibus ampliori & solidiori scientia erudiendus, certior reddendus, & aduersus haereticorum ^{sp. Ph.} muniendus est ne unio animorum confusionis, discordiae, & dissolutionis
peri-

periculum subeat. Scripturae sensibus hinc illinc diffitis, uerbisque amplis et laxis, lasciuie nouaturientes homines et irreligiosos nouarum sententiarum et uocum aucupatores facile posse abuti, quaeuis, ne prima quidem excepta, testatur Ecclesiae periodus; cui malo ut obex ponatur, remediumque quaeratur, e re Ecclesiae est, ut formula fidei, sententias Scripturae sparsas, in unam summam plene et perspicue colligat, laxiores eiusdem phrasas apte & uere determinet. [B. DORSCHER *uerba anneximus ex citatione B. WERNSDORFFII l. c. p. 498. Et si symbolorum uerba non clariora sunt uerbo DEI, sunt tamen corruptelis auertendis et euertendis propius accommodata.*]

§. XIV.

Speciali.

Generalium pro formularum fidei Iustitia in sensu permissiuo e singularissima Christianae Ecclesiae constitutione adductorum argumentorum agmen claudant specialia e Scripturae S. dictis hausta. Compendio cum studeamus, nonnulla tantum in medium afferamus. In formulis fidei tres potissimum partes considerandae ueniunt. Primo enim sunt uerae Ecclesiae publicae fidei confessiones; dein e Scriptura S. uera religionis dogmata plene, compendiarie tamen, perspicue & apte explicantur in iis & extruuntur; denique in exemplum & regulam doctrinae proponuntur & unionis ergo iniunguntur. Publicas uerae doctrinae

Imo.

posse existere confessiones probatur ex 1. Petri III. 15. ἑτοιμοὶ θεοῦ ἀεὶ πρὸς ἀπολογίαὺν παντὶ τῷ αἰτῶντι ὑμᾶς λόγον δοῦναι τῆς ἐν ὑμῖν ἐλπίδος, μετὰ πραύτητος καὶ φόβου συνείδησιν ἔχοντες ἠσχαθῆν. E quo Petri loco argumentum pro iustitia formularum fidei necimus a minus ad magis concludens, a specie ad genus: A confessione nimirum fidei cuiuslibet priuato iniuncta, ad Iustitiam confessionis fidei a toto coetu edendam; a confessione spei uitae aeternae, ad confessionem reliquorum dogmatum ad aeternam salutem spectantium. Nihil uel obscuritatis uel difficultatis

cultatis hic deprehendimus, quare ad alterum, quod in fidei formulis occurrit, membrum, dictis S. Scripturae probandum delabimur.

§. XV.

E praecepto Pauli ad Timotheum scripto II. Tim. I. 13. *ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαίνοντων λόγων, ὣν παρ' ἐμῶ ἡκυστος ἐν πίσει καὶ ἀγάπῃ τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.* hanc *ὑποτύπωσιν* et alio loco Rom. VI. 17. appellat *τύπον διδασχῆς*. iniungit ei hisce uerbis, ut ex uniuersa Christi doctrina, quam ore haecenus tradidit, et scripto iam denuo explicat, quae *πίσει καὶ ἀγάπῃ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* absoluitur, colligat et exstruat *ὑποτύπωσιν*, ideam, formam, quae plene, perspicue, summatim tamen & uno quasi conspectu I. C. doctrinam aptissimo ordine inuicem colligatam exhibeat, exacteque referat illam tanquam exemplum, *εἰκόνα καὶ ἀρχέτυπον*, cuius ipsa est *τύπος*; uno uerbo ut *πίσει* sit *ἀνάλογος*; at non tantum qua res, sed et uerba; dicitur enim *ὑποτύπωσις ὑγιαίνοντων λόγων*, non modo *διδασχῆ*, sed *τύπος διδασχῆς*, sub quo et *τρόπος παιδείας* utique comprehenditur. Quam sanioris doctrinae *σύναψιν* et delineationem Timotheum iubet *ἔχειν*, habere, *ἔξει*, habitu, e Sacrae Scripturae diligenti meditatione iuuante Spiritus S. gratia, quae in ipso erat, acquisito; *σύστημα* diuinarum ueritatum plenum, compendiarium tamen et iusto connexum ordine animo tenere; ut sic tanquam episcopus et *ἄνθρωπος ὁ Θεὸς ἐξηρησμένος πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθόν* sit. Nostrae expositioni *ὁμοψήφως* citat BERNH. VON SANDEN in *Diss. Th. de forma sanorum uerborum etc. §. VII.* CHRYSOSTOMVM et HIERONYMVVM. Ille enim *ὑποτύπωσιν* hanc uocat *κανόνα καὶ ἀρχέτυπον καὶ ὄρει*; *ὄρει* autem uocantur definitiones apud Philosophum, cum primis illae, quae breuibus et paucis uerbis *τὸ τί ἦν εἶναι* siue essentiam rei explicant. HIERONYMVVS ita scribit in haec nostra: *secundum meam formam uiue & doce, quam a me breuiter accepisti.*

Hes.

C

cepiſti.

cepisti, quomodo integre credere, & alterutrum diligere debeamus. Quod si itaque episcopo & ecclesiae doctori incumbit eiusmodi formam sanae doctrinae in animo habere; quidni et toti Ecclesiae liceret talem σύνοψιν, ideam, siue formam diuinarum ueritatum construere, quae uere apteque, ut typus exemplari, correspondeat Sacrae Scripturae; praesertim cum ad doctores ecclesiae, qualis fuit Timotheus, praecipue spectet officium condendarum fidei formularum, uti ad doctrinae I. C. prae aliis peritissimos testes et praecones. Eiusmodi quid obseruare licet in ueteri Ecclesia Iudaica, quae habuit μόρφωσιν τῆς γνώσεως καὶ NB. τῆς ἀληθείας. Rom. II. 20. Quo de merito suo gloriabantur teste Paulo Iudaei, & ipse Deo gratias agebat, quod toto corde obedierint, εἰς ὃν παρεδόθησαν τύπον διδασχῆς Rom. VI. 17. ecquid autem fidei formulae aliud sunt, nisi normata et formata ὑποτύπωσις, τύπος, idea, forma sanae doctrinae, et sanorum eius eloquendae modorum; unde eandem iustitiam clarere arbitror.

§. XVI.

IIIo.

In tertiam quam diximus formularum fidei partem probandam, assumimus Christi dictum Matth. XVIII. 17. 18. e quo conclusio ad praesentem rem a pari procedit. Si Ecclesia ex Christi institutione ius habet prae fractos et contumaces peccatores communionem eiiciendi, eidem etiam competit potestas obstinatos ἀνὴλέγοντας a coetu suo arcendi et excludendi; ueritatis enim non minus ac charitatis ratio est habenda. Adde, clauēs coeli a Christo Ecclesiae traditas quam maxime eo spectare, ut eadem cum autoritate & pleno effectu decernat de diuinis ueritatibus, factisque humanis, ut sit doctrinae testis, custos & arbiter; quare etiam audit Paulo, secundum consuetam graeci textus interpunctionem σύλος καὶ ἐδραϊώμα τῆς ἀληθείας. I. Tim. III. 15. Denique [sic rationes subducit magnus PUFENDORFIUS ex citatione B. Dn. AB ELSWICH l. c.

p. 59. cum haereticum hominem deuitare iubet Apostolus, et uero a nobis postulari nequeat, ut in unius aut paucorum heteroclitorum capitum gratiam alio migremus, consequens est, ut iste solum uertat, postquam legitime conuictus et monitus peruacaciter errorem suum fouet, et periculum est, ne alios cominus contagio insiciat.] hoc iure Ecclesia utitur, cum in formulis fidei de diuinis ueritatibus e Scriptura S. decernit, ad easdem amplectendas membra sua adstringit, secus sentientes in communionem non admittit, et pertinaces ἀνιδέγοντας ab ea arcet uel pellit.

§. XVII.

Hucusque de argumentis et directis et indirectis tam generalibus quam specialibus sat dictum est, quibus iustitiam formularum fidei in sensu permissiuo asseruimus, siue Ecclesiae ius condendi et praescribendi easdem uindicauimus. Paucis iam expediri poterit iustitia formularum fidei in sensu *praeceptiuo*, siue potius earum necessitas, i. e. Ecclesiam quandoque obligari ad formulas fidei condendas et praescribendas. Sunt nempe certi casus, qui Ecclesiae formulas imperant, si salua ac integra esse uult, uinculumque unionis interruptum manere debeat; ii uel *interni* uel *externi* esse possunt. Ex iis, qui extrinsecus ueniunt, allegabimus duntaxat iussum principis et mandatum a placitis uerae Ecclesiae alieni et diuersi de reddenda religionis suae ratione; hostium dein calumnias & obtrectationes, quibus sacra nostra inuisa Deo, hominibusque inimica reddere conantur. Ex internis unum sufficiat adduxisse, domesticas nimirum proh dolor! de fidei capitibus altercationes et *σχίσματα*, Ecclesiae summum dissolutionis periculum minantia. Pone iam Ecclesiam ex haecenus probatis habere ius condendarum fidei formularum, illico in allatis casibus iuri accedet obligatio. Eiusmodi Principis iussum, ut alibi probatur, est iustus; in iustis rebus obligatur Ecclesia ad omnimodam eidem exhibendam obedientiam. Calumniae hostium, cum tandem in Ecclesiae per-

In sensu praeceptiuo.

niciem, immo ipsius ueritatis detrimentum essent erupturae, nisi iis obuiam iretur, ad eas retundendas pariter lege Dei obligantur christiani; et cum dari possit casus, ubi nullum ualidius ad reprimendas hostium obtrectationes sit medium & subsidium publica fidei confessione, scripto tradita, quin ad eandem Ecclesia obligetur, nemini obscurum esse potest. Qui enim praecipit finem, intemeratam nimirum fidei custodiam, praecipit & media, interque ea, maxime id, quod fini conuenientissimum est, publicas fidei confessiones. Eodem modo officium incumbit Ecclesiae internas discordias sopiendi et extinguendi fidei formulis, quia eam in rem efficacius et certius non aliud est remedium. Quum haec dicta manifesta sint, suumque robur e praecedentibus paragraphis mutuentur, breuioribus hic nobis esse licet.

§. XVIII.

Illustratur ex
antiquitate
Ecclesiastica.

Quare denique deouluimur ad ostendendum antiquissimum & perpetuum huius iuris in Ecclesia usum. Magna uis huic argumento e continua uerae Ecclesiae praxi desumpto inest atque autoritas. Si enim monstraerimus, ueram Ecclesiam inde ab ultimis originibus hoc modo ueram doctrinam conseruatum, promotum, defensumque iuisse, & sic prudenter cauisse, ne unio animorum in fide disrumperetur, consequa ratione eiusmodi medio membra sua in unione constrinxisse, peruersaque docentes a communione cohibuisse et expulsisse, quidni inde iustitiam formularum fidei colligeremus? quis enim quaeso sibi persuaderi patiatur, ueram Ecclesiam per tot seculorum decursum, constantissima praxi, a nemine, ne haereticis quidem, improbata, iniuste egisse? ipsi certe haeretici non symbola improbarunt, quatenus constituunt iustum conseruandi, promouendi & defendendi diuinas ueritates modum, sed tantum quatenus doctrinas ipsorum hypothesebus aduersas complectebantur; immo iis ipsis sua erant symbola. Quod si porro hancce Ecclesiae obseruantiam iungimus adductis antea argumentis, iustitia formula-
rum

rum fidei non tam probabitur, quam ostendetur. Primo occurrendum censemus friuolae aliquorum obiectioni, qua impudenter negant tribus prioribus seculis ulla obtinuisse fidei formulas; si in re seria uerbis ludere ipsis uacat, ludant secum, nec aliis contradicendo molestias creent; minutias isti sectantur homines, easque cum re ipsa inepte commiscent. Uetustissimae Ecclesiae formularum fidei faciem prorsus eandem fuisse, quam insecuta symbola prae se tulerunt, spectrum forte, non homo, nedum doctus somniauit; fuere tamen oim aequae ac hodie fidei formulae, si cum sanis rem spectes. In exemplum produci-mus ipsam solennem baptismi formulam, qua initiandi fidem suam exponere tenebantur, quae ingrauescente hominum haereticorum turba, incrementa quoque accepit sua, e qua enatum tandem esse symbolum, quod uocare consueuimus APOSTOLICVM, eruditissimi uiri probabilissime autumant; cuiuscemodi formulam catechumenos oportebat memoriae infigere. *Conf. B. ELSVICHIVS l. c. p. 55.* ad symbola itidem ante NICAENA, referenda sunt: ROMANVM, AQUILEIENSE, & ORIENTALE VETVS; maxime ANTIOCHENVM tertium aduersus PAVLVM SAMOSATENVM conuocatum, & CCLXX celebratum. Quae haec insequuta sunt alia symbola, notiora sunt, quam ut iisdem recensendis operae pretium faciamus. [*De tota hac materia pluribus differentem conf. B. IOH. FRANC. BYDDEVM in Isagoge de Theol. Symbolica. p. 439. seqq. Optandum equidem, ut ULMENSIS seminarii celeberrimus THEOLOGVS PROFESSOR IOH. FRICKIVS, b. Parentis mei, cum uiueret, amicus coniunctissimus, consilium, quod ante aliquot annos, uti fando accepimus, hac de materia de fide, quam quidam contentim uocant, formulari animo agitauit, opere exsequeretur, atque pro celebratissima eruditionis suae copia & praestantia, ex Ecclesiae antiquitatibus eandem diduceret latius & illustraret.*] Sufficit, inde a primis natalibus, Ecclesiam hunc morem introduxisse & seruasse, ut exstarent publicae fidei for-

mulae, quae creditu maxime necessaria, & a Iudaeis, Ethnicis, haereticaeque prauitatis doctoribus uel negata, uel corrupta diuiniora dogmata exhibebant, e S. Scriptura explicata & eruta, aptisque uerbis exposita sistebant; hisce formulis separauit se ab infidelibus & haeticis hominibus, in unitate contra & professionis & sensus se continuit. Succedente tempore, successisse plures, magisque determinatas fidei formulas, neque mirum, neque iniustum, cum hominum & cognitio & malitia creuerit.

§. XIX.

Formularum
fidei Vfus.

Superatis tandem quae de fidei formularum iustitia dicere animo concepimus, *usum* earum asseremus; quo instituto facili defungi possumus opera, quia fere omne quod ad usum pertinet explicandum, e superius dictis planum est atque comperitum. Uti formulis fidei possunt, qui in Ecclesia uera, & extra eam uiuunt. Illi utuntur iisdem primo, ut ex iis fidem discant; secundum eandem dirigant atque componant; quem usum uocare posses *doctrinalem*, *instructiuum* & *normatiuum*. Secundo, ut ex iis edoceantur discrimen, quod ueram inter & falsam intercedit doctrinam; quem uocare liceat usum *discrētium*; tertio, ut iisdem unio animorum in credenda & profitenda uera doctrina stabiliatur; quem appellamus usum *unitiuum*. Hi, qui extra ueram Ecclesiam degunt, uti possunt formulis fidei primo: ut in aduersae doctrinae & *didascalice* & *apologetice* propositae notitiam ueniant. Secundo: errores suos reiectos & repulsos agnoscant; qui usus nomine *elenchtici* ueniret; tertio: ut iis semet a coetu uero ueluti exteros & reprobatos declaratos sentiant; quem nominamus usum *exclusiuum* & *excommunicatorium*.

§. XX.

Epilogus.

Animus quidem fuit, nouarum rerum in religione plus iusto, immo impie studiosorum hominum dubia & obiectiones, quibus fidem uerae Ecclesiae impetunt ueluti formularem, car-

bona-

bonariam, politici papatus reliquias &c. retundendi; sed coarctata, qua circumscribimur, temporis angustia praepediti, earum examen in ipsa disputationis arena uentilandum proponimus; certi interim sumus, B. L. facile soluturum secundum haec tenus probata, quae mota sunt dubia aduersus *Formularum Fidei Iustitiam et Vsum.*

DE

AVGVSTANAE CONFSSIONIS IVSTITIA ET VSV.

CAPVT VNVM

§. I.

Augustanae Confessionis nomine quid rei nobis ueniat, nemini ignotum est. Significamus nempe publicum ^{Augustanae Confessio.} scriptum, quod M. Imperatori CAROLO VTO, Germanici Imperii PRINCIPES V. ET DVAE IMPERIALES CIVITATES [*quem numerum nuperrime accurate fixit Celebrissimus IOH. DAV. KOELER in Disp. de subscriptione A. C.*] ante ducentos annos XXV. Iunii die, AVGVSTAE VINDELICORVM in comitiis ibi habitis demisse obtulerunt; complexum XXI praecipuos, quos sic uocant, FIDEI ET DOCTRINAE ARTICVLOS; itemque VII. capita, in quibus recensentur abusus mutati; ad quod condendum praeclaudatorum Imperii statuum theologi in commune consilia et sententias contulerunt, PHILIPPVS uero MELANCHTHON eius litteris explicandi interpretis fuit. Vocauit is hoc scriptum ad ueteris Ecclesiae doctorum exemplum *Apologiae* siue *defensionis* et *confessionis* nomine. [*Saepius etiam B. LVTHERO apologiae, defensionis et declarationis nomine uenit in epistolis suis passim*] maluit tamen confessionis uoce uti, eo, quod Caesari non uacaret, prolixas audire disputationes, quae apolo-

apologiis familiares alias esse solent. Sic PHILIPPVS in Ep. ad Lutherum scribit, citata a GE. COELESTINO in *Historia Comitiorum August.* Tom. I. p. 41. et B. DAV. CHYTRAE in *Bericht von Augspurgischer Confession.* p. 36. seq. qui titulus cum additamento uocis *fidei*, ut postmodum scripto praefigeretur, collibitum fuit; (unde et *Confessionistarum* titulo *ueteris lutherani doctores apud pontificios scriptores ueniunt.*) Confessionis *fidei* nomen libro prudentissimo consilio est inditum, cum dictos articulos eum in finem obtulerint pietissimi *Confessores* nostri, ut in iis exstaret *Confessio sua*, et eorum, qui apud illos docent, *doctrinae summa* cerne- retur; [sunt uerba epilogi; quibus *ὁμολογία* sunt, quae in Praef. ad CAROLVM V. leguntur: offerimus, inquit, nostrorum concionatorum et nostram confessionem, cuiusmodi doctrinam - - illi in nostris terris, Ducatibus, ditionibus et urbibus tradiderint, et in ecclesiis tractauerint.] non minus prudenter titulus *Confessionis fidei* prae altero *apologiae* receptus fuit et usu inualuit, facit quidpe eo, ne idem unumque cum insecuta eiusdem apologia ferat nomen. Compendii tandem gratia, et ut in simul, ad ueteris itidem Ecclesiae exemplum [uid. B. IO. SCHMIDII *Diff. de Aug. Conf. nomine etc.* p. II.] urbis, inibique gestorum pia coleretur memoria, hic liber dictus fuit *Augustana Confessio*, quae appellatio usu uulgatissima, ubiuis et semper hucusque obtinuit. [*Confessio Saxonum per contentum audit apud Pontificios doctores.*]

§. II.

Non uariata.

Augustanae Confessionis exemplum latinum a PHIL. MELANCHTHONE, e nimia in *Zwinglio-Calumnianos* propensione MIOXL, priuata autoritate insigniter mutatum iuxta acum ueritatis iactura corruptum, uariatum uulgo id dicunt, hinc secludimus; constantissime quidpe ab orthodoxa Ecclesia id reprobatum fuit. [non hic itaque inuimus, quas

quas PHIL. MELANCHTHON in ipsis comitiis ante publice praelectam et exhibitam confessionem uariationes subinde instituit; sunt namque publica PRINCIPVM et priuata LVTHERI auctoritate probatae et acceptae. De iis ap. COELESTINVM l. c. p. 40. et CHYTRAEVM l. c. p. 55. Ep. die Iouis post inuentionem Crucis a. 1530. inter alia sic scribit ad LVTHERVVM: ego exordium nostrae Confessionis feci, aliquanto ῥητορικώτερον, quam Coburgi scripseram. Breui ipse afferam, aut - - mittam. et ap. CHYTRAEVM p. 62. et CAELESTINVM p. 44. in alia ad eundem 22. Maji exarata: in apologia (confessione) multa mutamus, locum deuotis, quia erat exilior iusto, exemi, supposita alia disputatione eadem de re paullo uberiori. Nunc de potestate clauium etiam disputo. Vellem percurrisses articulos fidei, (XXI.) in quibus si nihil putaueris esse uitii, reliqua (artic. VII.) utcumque tractabimus; subinde enim mutandi sunt, atque ad occasiones accommodandi.] non uariati autem ac genuini exempli, germanico et latino sermone conscripti, rationem solum habemus. Cuiusmodi postmodum utrumque publica auctoritate in Conuentu Numburgensi, 1561. ad prima eaque probata Witteb. 1531. publicata exempla; germanicum imprimis exemplum trina uice ad authenticum in publico Imperii artheo repositum accurate collatum et expressum fuit. Quale exemplum 1580. Concordiae libro insertum, cum latino conspirare deprehensum est. uid. Nothwendige Vertheidigung des Aug- Apffels p. 230. - 39. et 350. seq. Haupt- Vertheydigung p. 444 seq. quibus iunge iam laudati Celeberrimi KOELERI Diss. citatam p. 14. - 26. et 34. usque ad fin. et IAC. WILH. FEVERLINI Celeberrimi Professoris in Theologia Auspicalem Disp. Sect. I.

§. III.

Hisc de A. C. nomine breuissime praemissis, iusticia eius iamiam afferenda est, & contra diuersum sentientes uindicanda. Siue probandum nobis incumbit, Ecclesiam, quae

D

doctri-

Est iusta in
sensu permissio
suo.

doctrinam A. C. traditam amplectitur & profitetur, iuste summam religionis suae publico expressisse scripto, expositamque in formam & regulam credendorum & docendorum proposuisse, & etiamnum proponere. Ecclesia, secundum superioris dicta iuste agit, uel in sensu permissiuo uel praeceptiuo; Ecclesiae nostrae omni iure permissum fuisse, ut confessionem fidei & doctrinae ederet, & suis sociis iniungeret, inde adstruimus, quia Confessionem AVGVSTAE propositam in numerum fidei formularum, quas definiuimus antea, omnimode referri oportet; de formulis fidei, quas descripsimus, in uniuersum pronunciauimus eas esse iustas, iusta itaque etiam erit A. C. cum sub classe fidei formularum continetur. Quicquid enim ualet de genere, ualet etiam de specie etc. solum relinquitur probandum, A. C. tanquam speciem contineri sub genere formularum fidei; definitum *formula fidei* ex aequo competet A. C. si definitio in eandem per omnes partes quadret.

§. IV.

Quia est uerae Ecclesiae.

E formularum fidei definitione ante omnia applicabimus A. C. id quod de iis primum praedicatur; esse nimirum publica uerae Ecclesiae scripta, Spiritus S. luce atque gratia iuante, & omni adhibito studio humano concinnata. Negabunt strenue *Romanenses* aduersarii, *Confessores* nostros ad ueram Ecclesiam referri debere; schismaticos uerius, apostatas & haereticos illos fuisse affirmabunt; uerum caluminae huius notam Ecclesiae nostrae scriptam, uarii uarie extulerunt. Nosmet, semotis tantisper, quae romano-catholicos inter & nos intercedunt de Ecclesia controuersis; gratiae aduersariorum aliquid dabimus, & quod aiunt, καὶ ἀνθρωπων disputabimus. Damus itaque Romanam Ecclesiam tum fuisse ueram uisibilem illam, quam tantopere iactant Ecclesiam, & uerae ab Apostolis, Petro maxime & Paulo fundatae filiam, siue neptem, siue proneptem etc. maiores certe nostri in ea erant

erant nati & educati. Damus rursus uisibile Ecclesiae caput, summum *Romae* degentem Episcopum. Maiores nostri aequae ac alii illorum socii, obedientiam ipsi & fidem praestabant. Sed & liberales uicissim aduersarii erunt nostri, atque id unum concedent, nostros aequae ut reliqua Romanae Ecclesiae membra per regenerationis lauerum, doctrinamque euangelii, Christo summo Ecclesiae suae capiti ita insertos obstrictosque fuisse, ut salua conscientia & salute, integrum iis non fuerit uel larum unguem a magistri uoce, in Euangelistarum et Apostolorum scriptis sonora, discedere, officii potius leges efflagitauerint, ut secundum illam morum disciplinam, sacrorum rituum ordinem, doctrinaeque compagem et σύστημα nunquam non exactissime componerent, secus agentem Romanam Curiam et Ecclesiam e Scriptura S. arguerent et increparent. Atqui ex idoneis historiarum monumentis constat, quam misere utriusque facies ante reformationis tempora fuerit deturpata; morum perditissima impietas et impudentissima petulantia, in Ecclesiastico cumprimis ordine conspicua, inueterata licentia in praescriptionis ius et impunitatem quasi abiit. Immensa fere rituum in sacris obuiorum e religione iudaica abrogata, et gentili damnata transumptorum propriaeque superstitionis et impietatis figmentis aduكتورum moles, miseris hominum conscientis tyrannice imposita fuit *εις ἀβάστακτον ζυγόν*. Ecquid dicam de uerae doctrinae ignorantia et corruptelis? profundissima placitorum Christianae religionis erat non penes uulgus modo, sed et Ecclesiae doctores inscitia, cum S. Biblia uel legenda non concedebantur, uel, quod dictu propudiosissimum est, ii, quibus illorum euoluendorum facultas forte erat, eadem non intelligebant, negligebant, spernebant, corrumpebant; quare errores in Ecclesiam non raris copiis, sed condensato agmine, nemine ad tantum malum reprimendum, uel suffeno uel idoneo, irruerunt. Nec leues ii erant, et phi-

lofophicae tantum uelitationes, sed graues omnino et perniciosissimi. Ipsum enim fidei fundamentum ex imo concutiebant et locomouebant; fidei in Christum unicum mundi Seruatorem constituendae et conseruandae fundamentum subruerunt, alio in locum eius iacto sterquilinio, propriorum nempe meritorum, partim puerilium et ineptorum, partim in ipsum Deum eiusque Christum iniuriorum. Testes non allegabo probos et doctos ex omni aetate et gente uiros, in hunc desperatum ecclesiae statum inuehentes, quos FLACIUS cum aliis magno numero dat. Publicos tantum huius ueritatis testes allegabo, a XVI. seculi anno XVII. usque ad XXX. illustres et praecipuos: Pontificis ADRIANI VIIIMI FRANC. CHEREGATO ad Comitata Imperii anno XXIII. *Norimbergae* habita, datam instructionem. [uid. COELESTINVS l. c. p. 4. col. B. *Illustris A SECKENDORF Comm. de Lutheranism* p. 255. et B. I. C. FVNCKII *Reformations-Historie* p. 119. seqq.] Illustriss. Germanici Imperii Procerum centum et unum de Religione grauamina eidem *Papae legato*, et iam ante anno XXI. CAROLO oblata, in *Wormatiens.* comitiis. [uid. Ill. A SECKENDORF l. c. maxime ELIAE FRICKII *V. D. apud Ulmensis Ministri et in Gymn. Theol. Professoris Praefatio in hunc librum a se uersum et auctum*, et I. C. FVNCKII *Reform. Historie* p. 17. 21. 121. coll. 133. 182.] MERCVRINI CATTINARI Orationem *Bononiae* ad CLEMENTEM VIIIMUM anno XXIX. nomine Caesaris recitatam. [COELESTINVS l. c. p. 11. 12. collata sententia illorum, quos Augustissimus CAESAR antea de religione in consilium uocauit p. 7. column. B.] ipsum denique CAROLI VII sermonem ibi habitum. [CHYTRAEVS l. c. p. 16. 19. COELESTINVS p. 14. 15.]

§. V.

Confessores itaque nostri schisma non fecerunt, cum fœra repurganda susciperent, nihil enim aut noui aut iniusti hac in re tentarunt; sed et attendas uelim quam prudenter, quam aequè,

aeque, quam moderate cum Romana Curia egerint et Ecclesia; omne negotium non definiendi sed disputandi tantum gratia inceptum, ad Romanum praefulem detulerunt, caussaeque cognitionem, et super ea iudicium implorarunt; *Romanam Ecclesiam* se colere profesi sunt, illi, germanicisque praesertim Academiis totam caussam suam submiserunt, durius dicta reuocaturos, maioremque in posterum modestiam adhibituros esse, polliciti fuerunt. Sed quid ad haec Pontifex cum purpuratis suis? unice et tantum instabant ut reuocarent, Scripturam S. uel plane non in consilium uocabant, uel misere eam interpretabantur; conciliorum recentiorum Constantiensis maxime, Pontificum et Scholasticorum doctorum, canones, et decreta, et sententias crepabant. Cui irrationali iuxta ac tyrannico procedendi modo, cum nostri salua Dei gloria, saluteque sua sese submittere nollent, LUTHERVS cum sociis suis, instigantibus furiis papalibus, edito CAESARIS et *quorundam Imperii Statuum*, sub finem Comitiorum *Wormatiensium* proferbitur, et repetita LEONIS bulla excommunicatur.

§. VI.

Caesari uel tandem naturae bonitate & clementia, rei ipsius grauitate & necessitate, precibusque instantissimis subinde repetitis ad concilium de religionis negotio celebrandum compulso; CLEMENS VII mus obstinate restitit; [*rationibus uicario Christi summoque controuersiarum iudice indignissimis nixus, quas lege ap. COELESTINVM p. 13. seq. & CHYTRALVM p. 11-15.*] Sed itales PAPAE artes quas tum moliebatur, germana CAROLI indoles abhorrens, litteris *Augustam Vind.* Imperii conuentum indicit, ubi interea temporis usque dum Concilium congregaretur, etiam de dissensionibus in causa religionis dispicere iubet. [*uid. COELESTINVS l.c. p. 15. B.*] in Ecclesia duo tum temporis hominum erant genera, unum emendari cupiebat abusus & corruptelas,

alterum & abusus & corruptelas negabat. Vtrumque hucusque reputabatur Romanae Ecclesiae communionis particeps. Vtrique ex aequo distribuebatur ius sententiam suam dicendi, probandi, & aduersam partem e S. Scriptura erroris conuincendi; & caussa nondum erat perorata, multo minus iudicata; insigni itaque iniuria nostris *Confessoribus* infame haereticorum nomen impingitur, qui erroris nondum conuicti & damnati erant. Partem potius nostram *ueram tum constituisse Ecclesiam*, uel inde maxime elucescit, quod uoci Christi sui Scripturae S. nimirum, unice & constantissime attenderint, ad eam sua & dicta & scripta composuerint, erroresque refutauerint.

§. VII.

Scriptum.

Ab hac *uera Ecclesia* edebatur scriptum de sua religione. IOHANNES ELECTOR SAXONIAE ad Wittebergenses Theologos: LVTHERVM, IONAM, BVGENHAGIVM (*Pomeranum*) & PHILIPPVM dat litteras; [*quas lege in CHYTRAEO p. 42. seq.*] quibus iubet, ut in communem [*quod bene ex litteris notes uelim.*] Imperii statuum repurgatam doctrinam amplexorum usum & commodum, capita fidei praecipua & controuersa scripto explicent; paruit LVTHERVS cum sociis, articulosque XVII, quos antea anno XXIX ante Suobacensem conuentum ipsemet construxerat, communi iam habito consilio denuo probauit, immutatis, additis & demtis paucis tantum uerbis; qui dein a loco in quo ELECTORI exhibebantur nomen TORGAVIENSIVM articulorum sunt sortiti; [*Conf. ELIAS FRICKIUS l. c. p. 960. seq. & I. C. FVNCKIUS p. 245. seq. & 268. item B. IANI Disp. De Articulis Suobacensibus A.C. Fundamento.*] PHIL. MELANCHTHONI id postea negotii iniunctum fuit, ut ad morem latinae Ecclesiae in conciliis praesertim obuium, inque usum doctorum & exterorum, quibus germanica non legebantur Saxonicarum imprimis Ecclesiarum, doctrinam latino, quo plurimum pollebat stilo, eiusque confessionem iusto ad Caesarem scripto

scripto comprehenderet. Quo officio ante quam AVGVSTAM uenit iam defungi coepit. Sed postquam in urbe commorabatur, euenerunt multa, quae prolixius de religionis diffidiis efflagitarunt scriptum, & quod *Meinay*, qua MELANCHTHON insignis erat, maxime prae se ferret. Ampliavit scriptum MELANCHTHON, & ecclesiasticae concordiae, quantum poterat, attemperauit. Sed tamen summam doctrinae, ordinemque articulorum TORGAVIENSIVM maxime sequutus fuit. Confessionis exemplum ipsum bina uice, primum die XI. dein XXIV. die Maii LVTHERO ut id reuideret, examinaret, et, si opus & adderet & demeret, COBURGYM transmissum fuit. [uid. COELISTINVS p. 40. seq. CHYTRAEVS 44. 57. 62.] quod a LVTHIRO approbatum [COELISTINVS p. 40. 6. CHYTRAEVS p. 6.] caeterisque Theologis receptum [FVNCKIUS p. 286.] tandemque XXIII. die Iunii germanicum absque dubio exemplum in confessu Euangelicorum Ordinum recitatum, communem omnium consensum obtinuit. [COELESTINVS p. 113. B. FVNCKIUS p. 287.] eique subscripserunt *Euangelici Status, tam suo, filiorum fratrum cognatorum & agnatorum quam communi subditorum nomine*; [uid. laudatam KOELERI *Disp. §. V.*] non itaque id scriptum unius alteriusue theologi, sed omnium Euangelicorum statuum & regionum suarum confessionem, complectebatur. [Conf. GE. PONTANI *in uectius in Melanchthonem uerba in der nothwendigen Vertbeidigung des Aug. Apffels. p. 354. coll. KOELERI Disp. §. XXI. p. 32.*]

§. VIII.

Publicum itaque erat scriptum. Complectebatur enim Publicum. doctrinam quae in templis scholisque publice personabat; publica Euangelicorum statuum autoritate componebatur; illorum, totiusque Ecclesiae nomine in comitiis publice coram Caesare & in corona Imperii Procerum eorumque deputatorum praelegebatur; a CAROLO V. denique utrumque exemplum latinum et germanicum clementissime acceptabatur,

ptabatur, et posterius, quod ipsum recitatum fuit, MOGVNTINO ELECTORI tradebatur, ut in Sacro Imperii tabulario, reponeretur. [uid. COELESTINVS p. 191. CHYTRAEVS p. 188. - 90. FVNCKIVS p. 291. seq.]

§. IX.

Nec hisce publicis actis quicquam officit Caesaris de ea publicis typis exscribenda interdictum. Restrictum enim tantummodo fuit ad *nouum* eumque alium *publicationis modum*, quam qui solenniter iam in comitiis factus est, et ad pauxillum modo temporis, usque dum concilium de religione iniretur; quod tamen uel ipsius Caesaris, Regum, Principum iussu susceptae A. C. in varias linguas uersiones, ueluti infirmarunt, et insecuta pacis de religione instrumenta profus sustulerunt; a quo tempore Confessio fidei Protestantium statuum *scriptum publicum* semper in Germanico Imperio et alibi locorum habitum fuit, et per Dei gratiam etiamnum habetur.

§. X.

Quod ad
diuinam
Scripturae
normam.

Scriptum Dei uerbum tanquam unicam, perspicuam pariter et perfectam fidei normam, uti alias semper, ita maxime in edenda Confessione sequuti sunt Confessores nostri. [uid. IOH. SAX. ELECTORIS *litteras ad Witteb. Theologos §. VII. cit. et A. C. Praef. clausulam art. XXI. et Epilogum.*] nec ipsi aduersarii id tum negarunt, fassi, propheticis et apostolicis scriptis refutari illam minime posse; [uid. pluribus IOH. SCHMIDT. *Disp. de A. C. §. XII.*]

§. XI

Gratia et lū-
ce Spiritus
S. inuante,

Cum itaque unam Scripturam S. ducem in consignanda *Conf.* sequerentur nostri, quin Spiritus S. lux per diuinum uerbum illuminans praesto iis fuerit, dubio caret. Adhaec, cum naturae artisque subsidiis, quibus ad interpretandam Scripturam S. opus est, egregie instructi essent, quin et haec Spiritus S. gratia in sancto isto instituto perfecit et direxerit, pariter

pariter non est dubitandum. [*robur dictis accedit e Cap. prioris §. §. IV. et XII.*]

§. XII.

De studio et cura in A. C. conscribendam impensa, multi, breue temporis, quod nostris concedebatur, spatium caussati, humiliter sentiunt. Sed oppido falluntur. Primum enim doctrina scripto comprehendebatur, non tempore *August. Comitiarum* demum in theologorum cerebro nata, sed quam ii, *LV THERVS* et *MELANCHTHON* praecipue, multo ante assidua abs Deo oratione expetiuerunt; eidem eum summa mentis intentione, meditatione, uiriumque corporis consumptione, totos dies noctesque incubuerunt, cuiusque examen intentationum schola subinde sustinuerunt. *Dictis* adde, *Suobacenses* articulos A. C. fundamentum, non tumultuaria, sed data opera conscriptos ab eo, et tribus reliquis *Witteb. Theologis* accurato studio reuifos fuisse; accedit denique *PHIL. MELANCHTHONEM* per duos integros menses et unum dimidium id unum praecipue egisse, ut fidei *Conf.* *Caesari* exhibendam componeret. Qua industria, meditatione, et sollicitudine eam exstruxerit, testatur illorum temporum historia, eiusque litterae passim. Plus itaque quam satis temporis nostris fuit relictum, ad doctrinae *Conf.* omni studio concinnandam.

et omni adhibito studio humano.

§. XIII.

Augustanam Confessionem complecti Christianam doctrinam, i. e. uera *Christianae religionis dogmata*, uel e superius dictis et citatis patescit. [*addantur nostratium in A. C. scripta apologetica, quorum catalogum habes in B. IOH. FRANC. BYDDEI Isagoge, cui iunge ex nouissimis doctoribus B. GOITL. WERNSDORFFIVM, in Disp. cit. aph. Imo.*] quanta ueritatis fuerit uis, cum recitaretur *Conf. uid. ap. COELESTINVM p. 190. in Ep. MELANCHTHONIS ad LV THERVM. ap. eundem*

Christianae doctrinae.

E

dens

dem p. 198. et ap. auctores DN. a SECKENDORFFIO laudatos l. c. p. 170. notari in hanc rem cum primis merentur acta inter IOACH. ELECTOR. BRANDENBURGICVM et EPISCOPVM SALISBURGENSEM ab una, et inter EPISCOPVM AVGVSTANVM CHRISTOPHORVM a STADION ab altera parte. uid. COELESTINVS T. III. p. 25. 26. [de Episcopi huius in nostrorum doctrinam propensiori animo Conf. MELANCHTHONIS ad LVTHERVVM litterae, ap. eundem T. II. p. 252. b. et IVSTI IONAE ad eundem p. 205. a. b.] immo ipsaemet Confessionis nostrae confutationes ab obstinatis euangelicae doctrinae hostibus confarcinatae, testimonium ueritati dogmatum nostrorum perhibent minime spernendum. Multorum namque articulorum ueritatem fateri cogebantur, caeteris quid opponerent, non habebant, nisi λογισμαχίας, status quaestionis immutationem & peruersionem; futilia et leuia argumenta, quibus nostros aggrediebantur, erroresque suos et abusus defendebant. Accedit princeps, de quo acerrime dimicabant, caput, ad Pontificiam hierarchiam, reditusque conseruandos spectauisse. [inspiciantur excerpta ex Theologorum Brandenburg. censura in Torgauenses articulos ap. SECKENDORF. l. c. p. 152. ARN. WESSALIENSIS et COCHLEI breuis ad singula puncta Confessionis Protestantium Principum responsio ap. COELESTIN. T. II. p. 234. - 245. IOH. ECCII de Principum Prot. Conf. censura T. III. p. 36. - seq. summa tractatus concordiae fidei caussa secunda uice ab utraque parte institutæ à 16. ad 21. Aug. diem. uid. l. c. p. 43. - 47. cui tamen iungatur Relationis Pontificiorum Caesari factae correctio p. 47. - 50. cui colloquio si lubet, addantur et reliqua ap. eundem in seqq. paginis copiose descripta.] illustrabit et ipsa A. C. consultatio, quam maxime adducere debemus, eiusque lectio, dictorum ueritatem, si praesertim iungas, quam turpiter Pontificii doctores sese in confutatione dederint, in iis capitibus, quae controuersa erant, eoque ipso multos a suis sacris alie-

nos reddiderint. [*uid. COELESTINVS l. c. p. 25. a. b. 27. a. 28. a. quae singula et apud CHYTRAEVM leguntur locis suis.*]

§. XIV.

Vna alteraque Christianae doctrinae pars, utrinque controuersa, quae ad fidem et abusus ecclesiasticorum rituum et ceremoniarum spectabat, in confessione exposita fuit. [*uid. litteras IOH. SAX. ELECTORIS ad Witteb. et A. C. Praef.*] Sed nec singuli tum temporis inter utramque partem disceptati articuli, de doctrina et abusu scripto comprehendebantur; praecipuum tantum, et qui salua ueritate et Ecclesiae salute omitti non poterant. [*uid. Epilogus A. C. maxime uero consulantur Illustrissimorum Statuum Euangelicorum, et Theologorum deliberationes et responsa ad quaestionem Caesaris: num acquiescere in articulis Confessionis antea exhibitis, an uero plures proponere uelint? ap. COELESTINVM T. II. p. 217. - 28. et SECKENDORFFIUM L. II. p. 173. seqq.*]

§. XV.

Diuinas ueritates ἡρώδης in S. litteris comprehensas uel ipsis S. codicis uerbis, uel prorsus equipollentibus afferunt & explicant nostri; ueritates uero in Scriptura δραστικῶς contentas ad ductum sanioris ἐπισημῶς iusta sequela eruunt & efformant; utroque officio defunguntur perspicue, barbaros subtilioresque iusto & obscuros Scholae terminos, a Conf. sua ualere iubent; si quos adhibent, usu dudum receptis, cognitis & facilibus utuntur, eosque dilucidioribus uerbis circumscribunt & exponunt. Vno uerbo: stilo omnia persequuntur communi, usu trito, plano, & captui uulgi temperato. Cuius perspicuitatis argumentum uel maximum est, quod germanica quoque lingua nimis abstractarum Scholae uocum impatiente, confessionem conscripserunt; in qua, cum recitata fuit, ab omnibus tunc intelligebatur Confessio, et adhuc cuius, modo linguae sacrarumque

rerum non prorsus ignaro, intellectu facillima est. Et ut coram omnibus Europae gentibus perspicue doctrinae suae summam exponerent, usi sunt etiam latino stilo, humili, simplici, aequaliter tamen & pure fluente. Nec minus *apte* doctrinam suam confitebantur, uoces modosque loquendi studiosè sectabantur rebus significandis maxime idoneos; ordinemque in proponendis dogmatibus suis tenuerunt, qui & ad nexum quo inuicem coelestes doctrinae iunguntur introspectiendum apprime accommodatus esset, et ad religionis faciem, quam tunc praese ferebat, intimius noscendam plurimum conferret. *Nec nimiae prolixitatis uitio nostri culpandi ueniunt*, compendia rerum & sermonis aucupabantur; praecipua tantum fidei capita enarrabant; impientissimos autem abusus notabant, inque iis ipsis breuitati studebant.

S. XVI.

Plene item
et determi-
nate explica-
tam legiti-
meque eru-
tam silit.

Dogmata, quorum ueritatem uel adstruebant, uel oppositam falsitatem damnabant, *plena* exhibuerunt, iustamque de iis ideam exhibere illic per totum S. uolumen sparsis doctrinae de qua agebant, uel sedibus uel uestigiis. Nihil mancum, nihil hiulcum, siue seorsim spectes dogmata, siue *in quibus*, quam mutuam inter se habent. Vel nuda articulorum inspectio cuius abunde dictorum ueritatem ostendet. Neque minus fidei capitum, controuersorum maxime, sententiam *pressis uerbis definiuerunt*, adstrictoque phrasium habitu, certum illorum sensum *fixerunt & determinarunt*, ut ne simpliciorum mentes, obortis iam de una alteraque doctrina dissensionibus, uagis laxisque locutionis expressionisque generibus fluctuantes agitantur, ubique imponi non paterentur; neque maligna aduersariorum turba, in uerae doctrinae detrimentum, tam facile iis abuti, inque suum, peruersum scilicet sensum, rapere posset; hinc dictis & sententiis Scripturae S. certum statuunt determinatumque assignant sensum.

S. XVII.

§. XVII.

Tandem et in regulam cuius suae Ecclesiae membro confessionem proposuerunt **CONFESSORES nostri**. EOS illam primitus symboli loco habuisse, uel e uerbis Praefationis constat, quibus petunt, ut ad exemplum suum et reliqui Electores et Status **SYMBOLVM FIDEI** edant. Huius rei gratia suo, suorumque nomine, eidem subscriperunt, et constanter sese adhaesuros subinde sancte affirmarunt. Huc collineant, cum ad quaestionem Caesaris, num plures articulos exhibere uelint? inter alia responderunt: *Profitemur, nos per eandem confessionem exhibitam omnes incertas et impias doctrinas et abusus, qui pugnant cum articulis, et rationibus articulorum, quos exhibuimus, improbare.* Quare et D. PONTANVS 1537. de Confessione mutata questus dixit: *Eam non Melanchthonis, sed statuum propriam esse, qui propter ipsam crebram mutationem in doctrina incerti et inconstantes, cum magna imperitorum hominum offensione passim proclamarentur.* [uid. KOELERI Disp. cit. p. 32.] Ea ipsa in sequentis Comitibus, Conuentibus et colloquiis de religione habitis, ut testis et index Evangelicae doctrinae proposita, et ab aduersa parte admissa fuit. In **NUMBURGENSE** conuentu Principes et Status repetierunt **CONFSSIONEM**, cui tanquam **SYMBOLO** semper se fore addictos denuo professi sunt; et ad eam theologorum suorum scripta uel probari, uel reici uoluerunt. In domesticis controuersis ad eam, tanquam ad **FORMAM** subinde prouocatum fuit. Quam solenni modo in regulam 1580. adscita fuerit, uerba **PRAEF. FORM. CONCORDIAE** testantur. Ecquid multis? in pace **PASSA-VIENSI** et **AVGVSTANA**, **CONFESSIO** nostra tanquam nota et **SYMBOLVM** eorum, qui iuxta Pontificiam religionem solida religionis pace gaudere debent, producta et proposita fuit. [conf. pluribus hanc in rem 10. GE. DORSCHER Disp. de A. C. consequentibus insignioribus.] Sed non alio, quam quem superius §. §. II. IV. V. VI. stabilimus sensu, Ecclesia nostra **CONF. AVG.** in normam recepit. [Edisserit hanc rem plane et ad modernorum *de Jüdäer* theologorum mentem B. GE. RITTERVS PROF. olim **ALTDORFINVS**. cuius in A. C. Disputationes 1725. iterum edidit et utilitauit D. PRAESES. uid. Disp. 1. Th. XXVI.]

Illamque in regulam post Scripturas praecipuam proponit.

§. XVIII.

Cum iam per omnes definitionis partes **AVG. CONFSSIONEM** formulis fidei iunxerimus, per §. III. eiusdem Iustitia in sensu permissiuo nunc asserta est; quam in praeceptiuo sensu illi quoque iam iam uindicabimus, siue eius necessitatem adstruemus. Ex causis externis, quae coetum nostrum ad A. C. condendam obligarunt, primum allego **CAROLI** Vti iustum. Impenso publicae pacis studio, sinceroque in ueram Euangelii doctrinam amore compulsus **MAGNVS** ille Princeps pro imperii sui grauitate excessiue animi clementia id mandati dedit. Quod exsequi, si nostri subterfugissent uel neglexissent, nae! infame inobedientiae scelus et impietissimi erga coelestem ueritatem animi sensum prodidissent. Secundum execrabiles a mendaciorum parente diabolo profectae calumniae et obtreclationes, quibus nostri, ueluti nefandorum criminum autores, perditissimarumque haeresum defensores longe luteque inhumaniter prorsus proscindebantur et diffamabantur, imperarunt **CONFESSORIBVS** nostris hocce scriptoris genus, quae

Iustitia A. C. in sensu praeceptiuo.

ut

ut in mendacissimorum calumniatorum pudorem, et offensarum mentium correctionem publico scripto depellerent, non tam sui, quam DEI potius diuinaeque veritatis honor efflagitavit. Idem exegit, ut *publico semet purgarent scripto a novissime excitatis erroribus*, quos ceteri, qui Romana Ecclesia excessere, publicis clamoribus propugnarent. Ne itaque in unum cum iis coetam coaliscere illis viderentur, notarunt haut obscure suum ab illis dissenfum.

§ XIX.

A. C. veter.
Ecclesiae
Symbolorum
imitatrix.

AVG. CONF. expressisse morem veterum verae Ecclesiae Symbolorum, vel conspectus externi *χρῆματος*, ordinis et elocutionis monstrat. Sed quod praecipuum, easdem veritates aduersus eosdem haereticos, similisque futuris homines iisdem loquendi modis asserit passim et defendit. Unde terminos ecclesiasticos, patrum testimonia, haereticae prauitatis proscriptionem, & cetera oecumenicis symbolis usu frequentata deprehendere in ea licet.

§. XX.

Eiusdem
Vfus.

Dicendorum agmen claudat *A. C. VSVS. Eccl. nostrae homines ex ea*, ueluti *secundaria fidei regula*, ad amantissimam uerbi DEI formata concipere fidem, i. e. veram et salutarem doctrinam addiscere, secundum eam cognitionem componere atque dirigere possunt, et publici doctores omnino debent. *Iuxta doctrinam sive instructiuam et normatiuum usum*, alius, qui dicitur *discretiuus*, nostri coetus hominibus suppetit, ut inde uidelicet discant, quantum distent aera lapinis, uerum falso, quodnam et quantum aduersariorum damnatam doctrinam inter et nostram salutarem intercedat discrimen. Tertium nostris *Conf.* praebet usum, qui est *unitiuus*, ut docentes pariter et discentes unum sentiant et loquantur, uno *παιδείας τρόπῳ* constringantur, et sensus professionisque unanimi et *ὁμοψύχῳ* concordia unum in CHRISTO caetum ad finem usque mundi constituent. *Iis, qui extra nostram Ecclesiam degunt*, hunc primo praestat usum, ut facili et subita opera in summariam, accuratam tamen notitiam nostrae Ecclesiae uerae sententiae theticae et apologeticae propolitaee ueniant; et modo uelint, hoc modo praepiudiciis et sinistris in eam iudiciis liberari feliciter queant. Dein et ii comperiant, quos errores nostri damnauerint, eosque nude et ex uero repraesentatos, argumentorumque telis confoscos. *Didascalico iuxta et apologetico itemque elenchi comitem damus usum exclusivum et excommunicatorium*, quo quisque diuersum a nobis sentiens et praefraete propugnans alienus a nostri coetus unione declaratur, pellitur et arcetur. *AVGUSTANA denique CONFESSIO* hoc quoque inprimis nomine uti *nosmet decet*, ut DEO de asserta et vindicata per eam puriori ueritate dicamus et canamus laudes, et nostrae *πίστεως ἀγίας* ambulemus; Sed quia multis in proximi Iubilaei solennitatibus ea de re dictum fuit, terminum hic, *SIT DEO LAUS ET GLORIA*, figimus atque

F I N E M.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

P. 4. l. 12. deleatur post voc. formularum (,) P. 9. l. 12. post voc. professio addatur; et expositio. Ead. pag. l. 24. et 25. leg. ecclesia. Pag. 23. l. 16. leg. eadem. Pag. 27. l. 1. post voc. carbonariam add. form. fidei tanquam.

Gilb

33833

1280-

Sammelband. 33 Schriften zur Reformationsgeschichte, darunter 10 die „Confessio Augustana“ betreffend. Altdorf, Frankfurt/O., Greifswald, Halle, Helmstedt, Jena, Jüterbog, Kopenhagen, Leipzig, Stargardt, Stettin, Wittenberg, zwischen 1592 u. 1731, 4to. Zus. ca. 1450 Ss. Mit einigen Holzschn. u. Druckermarken. HLdr. d. 18. Jh. (bestoß., Rück. läd.). 1280,—

Sehr interessanter Sammelband, meist Akademieschriften, zur Geschichte der Reformation, besonders zum „Augsburger Bekenntnis“, dessen 200jähriges Jubiläum eine große Anzahl von Würdigungen und Untersuchungen hervorgerufen hat. Zu den Autoren zählen A. C. Bauer, St. Besecenius, C. A. Bürger, Dan. Cramer, H. Ch. Crellius, P. Dolscius, G. Dünnebier, P. J. Eckhard, C. T. Rango, L. Rhodomanus, Nic. Selnecker u. v. a. Eine größere Zahl der Schriften sind sowohl Schottenloher als auch sogar Hammer (Melanchthonforschung) entgangen. — Bei 2 Schriften fehlt je 1 Blatt, teils gebräunt, einige alte Eintrag. — Genauere Angaben auf Wunsch möglich.

STMGRI

Lederriemen, Eichen, neu
Überapparat angebracht

4/187/10

